



1. Carpvov / i. iac. / Specimen quintum
de Applicatione Methodi Scienti-
ficae ad Theologiam revelatam,
Iena.
2. Carpvov / i. joh. Bened. / Diss. de
iure decidendi Controversias Theolo-
gicas, Lipsiae, 1695.
3. Deutschmann / i. Abrah. Henr. /
Diss. de Immortalitate et Immuta-
bilitate Divinae Essentiae, Witten-
bergae, 1692.
4. Gerner / i. Salam. / Diss. II. de Eccle-
sia triumphante in caelis,
Wittenbergae, 1595

PROGRAMMA ^{28 39}
DISPUTATIONIBUS

Ad singula doctrinae Christianae
capita

publice habendis
praemissum

à

CHRISTOPHORO TOBIA
WIDEBURGIO,

S. Theol. D. Ejusdemque Prof. Publ. Ordin.



HELMESTADII,

TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.
Anno MDCCLIII.

DISPUTATIONIBUS

Ad singula doctrinae Christianae

capitula

publice habenda

programma

CHRISTOPHORO TORIA
WIDEBURGIO

Prof. Publ. C. J. A.



THEO. C. O. W. ...
1800





Sanctissimæ Disciplinarum S. Theologiæ

STUDIOSIS

S. P. D.

CHRISTOPHORUS TOBIAS
WIDEBURGIUS,

S. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin.

Ecclésiastici muneris, cui plerosque Vestrum vel parentum aut patronorum, vel propria etiam vota, non absque divino instinctu, destinarunt, tanta est tum dignitas, tum præstantia, ut, si non ex corrupto vulgi sensu, sed veritate & natura sua æstima-
manda sit, nullum reperiatur in humanis rebus vel dignitate præclarior vel utilitate præstantior. Quoties enim vel vocationem expendimus, vel ad diversas officii partes cogitationes circumferimus, quoties denique ad eos mentis aciem convertimus, qui muneri huic à condito mundo præfuerunt, nil nisi sanctum, nil nisi divinum reperire licet. *Quod idonei sumus,* inquit Paulus II. Cor. III. 5. & 6. *ex Deo est, qui fecit, ut idonei essemus ministri novi testamenti.* Non fiunt igitur,

igitur, testante Apostolo, ad rerum divinarum tractationem idonei ministri, nisi quos ipse Christus è plurimis selectos ipse vocavit, & spiritus sui gratiam largitus, ad novi fœderis ministerium aptos ipse fecit. Solet nimirum supremus rerum humanarum moderator ab ineunte statim ætate præparare, & futuræ vocationis in ipsa etiam pueritia dare quasi indicia, in his, quos sanctissimo huic muneri in ecclesia quondam obeundo destinavit. Solet præterea divina bonitas huiusmodi adolescentes præ cæteris exornare ingenio, singularem concedere gravitatem, gratam largiri oris suavitatem, de patronis, amicis, præceptoribus, libris, & similibus parandæ eruditionis subsidiis abunde & quantum satis est prospicere. Ipsi vero juvenes futuri dispensatores in domo Dei divinorum mysteriorum, pravorum hominum sodalitia fugere, sui similibus, hoc est, piorum, ad eundem finem adspirantium familiari consuetudine delectari, actiones omnes ad divinæ legis & pietatis normam componere, de rebus divinis frequentissime & expedite loqui. Sunt hæc ordinaria & usitata divinæ vocationis sive indicia sive præludia, sanctissimorum hominum, qui postmodum principes theologorum evaserunt, exemplis abunde confirmata. Si quis huius generis testimonia literis consignata legere cupit, haud pauca suppeditabit Eusebius Hist. Eccles. lib. X. Cap. XIV. & libr. VI. Cap. II. Plura autem collegit Carolus Regius in Oratore Christiano lib. I. Cap. XIX. Videntur hæc forte communia, quia compertum, quod alios etiam homines divina providentia ab ineunte statim ætate instruere soleat, & præparare ad
eum



eum vitæ statum, quem ab æterno prævidit. Sunt vero & alia, his majora, ad solos cœlestium rerum cultores præcipue pertinentia. Legatione pro Christo fungi, & novi fœderis ministrum esse, magnum est; Dei internuncium esse, & Christi populum divinorum mysteriorum & sacramentorum participem reddere, vere egregium. Quid vero sublimius, quam angelum esse Dei? Quo nomine divinus Vates dignatur hominem qui verbum Evangelii annuncians, voluntatem divinam, quæque æternam animæ corporisque salutem obtinere cupientibus, vel credenda vel facienda sunt, per publicam prædicationem auditoribus suis proponit. Quanquam enim supremus rerum omnium Opifex & Dominus in voluntate sua mortalibus annuntianda nonnunquam creaturarum sanctissimis, Luc. I. 11 & v. 30. Luc. II. 9. quas angelos dicimus, usus fuerit, & divinorum scriptorum testimoniis abunde constet, inter diversas functiones, quas hi spiritus administratorii obeunt Ebr. I. 14. hancetiam contineri, quod iussa Dei ad homines deferant: tamen sapientissimo Numini placuit, provinciam hanc ordinarie demandare hominibus, quos præ cæteris ad hoc elegit, ut evangelii verbum in fide-
lium cœtu prædicantes, & sacramenta institutioni suæ convenienter administrantes publico fungerentur docendi munere. Videtur in eo benignissimum Numen mortalium infirmitati consulere, tum humanæ curiositati occasionem præscindere voluisse. Luc. I. 12. v. 29. Ecquis enim vultus mortalis perferre potest gloriosum cœlestis præconis aspectum? aut quid opus est, in rebus ad fidem pertinentibus, novas expectare vel revelationes, vel angelorum apparitiones, postquam omnia

ad salutem cognitu necessaria, divino instinctu consignata in Prophetarum Apostolorumque scriptis, abunde reperiuntur. Nunquam haecenus defuerunt, nec unquam in Ecclesia Christi deerunt, ordinarii divinæ legis interpretes, divinam de salute hominum voluntatem publica voce prædicantes. Sicut enim in qualibet ordinata republica, non solum civitatem ipsam suprema Majestas juxta leges fundamentales componit, sed & aliquos instituit, quorum ministerio subditi in finem civitatis dirigantur: sic Dominus dominantium & Rex regum, Servator noster Christus, cujus regnum non est de hoc mundo, ecclesiæ suæ, regno spirituali, de his abunde prospexit. Postquam enim multis vicibus multisque modis locutus erat Deo patribus per prophetas, unigenitus filius, sermo Dei, imago Patris, & splendor gloriæ ejus, ut inter mortales homines familiariter audiretur, mortali carne vestitus, voluntatem patris hominibus renunciavit. Expleto redemptionis opere, cujus causa potissimum à patre missus in mundum venerat, reversurus ad eum qui miserat, Apostolos instituit, quibus hoc muneris dedit, ut euntes in mundum univrsam, docerent omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Post gloriosam in caelos ascensionem Ecclesiæ suæ dedit, alios quidem Apostolos, alios Evangelistas, alios pastores & doctores. Apostolorum evangelium omni creaturæ annunciantium, & Evangelistarum operam requirebant Ecclesiæ per univrsam terrarum orbem plantandæ, quibus constitutis speciale munus Apostolorum cessabat; attamen, quod docendi provinciam attinet,

Joh. XIII.
v. 36.

Ebr. III. 11.
Joh. III. 16.
Joh. I. 1.

Ebr. II. 14.

Joh. XVI.
28.

Matth.
XXVIII. 19.
Marc. XVI.
15.

Eph. IV.
II. 12.

attinet, in locum Apostolorum successere doctores
& pastores, quos Ecclesiæ ministros hodie appellamus.
Accidit his, quod in magnis rebus nunquam non fie-
ri reprehendimus, ut cum magno honore, magnam
quoque onus, & cum maxima dignitate insuperabi-
lis propemodum difficultas jungatur, quam ma-
nifesta comitentur pericula. Quid difficilius, quam
imperscrutabilia divinorum oraculorum, & cœlesti-
um rerum mysteria sic explicare, ut ab iis intelligen-
tur, qui tenebris obscuratum intellectum habebant,
nec intelligere poterant quæ sunt spiritualiter iudi-
canda? Quid magis arduum, quam meliores efficere,
& ad spiritualem vitam suscitare, qui in peccatis mor-
tui, & alienati sunt à vita quæ est in Christo Jesu.
Quid denique periculosius quam talem in se suscepisse
provinciam, in qua si parum vigilanter excubasse
deprehendaris, citandus aliquando sis ad tribunal
Dei vindicis, de æterno commissarum ovium exitio
exactas rationes redditurus. *Admittuntur quidem ali-*
quando, sunt hæc verba Erasmi Roterodami è tra-
ctatu eruditissimo quem de ratione concionandi con-
scripsit, & Ecclesiasten vocavit, lib I. p. II. ad sacræ
conciones, interdum assiliunt adolescentes, leves,
indocti, quasi nihil facilius, quam apud populum exponere
divinam scripturam, & abunde sufficiat, perfricuis-
se frontem, & absterse pudore linguam volvere. Hoc
malum ex eo fonte manat, quod non perpenditur, quan-
ta sit Ecclesiastici concionatoris, tum dignitas, tum dif-
ficultas, tum utilitas, si recte suo fungatur munere. Non
est tam ovum ovo simile, quam sunt Erasmi verbis
ea, quæ leguntur in præfatione, quam Bartholomæus
Kecker.

Eph. IV. 18.
I. Cor. II.
14.

Eph. II. 7.
Eph. IV. 18.

Keckermannus arti suæ formandi & habendi conciones sacras præmisit. *Magis quid est concionatorem agere, scribit, quam ii putant, qui in linguæ volubilitate muneris hujus partes credunt esse constitutas. Divinum quid est, & pene supra hominem, homines de Deo, de religione docere, mentes ad pietatem, ad vitæ & morum sanctimoniam, quæ Deo probatur, oratione in publico permoveere.* Sane si, prout Gregorio Nazianzeno visum fuit, *ars artium est, hominem regere, qui inter omnia animantia maxime est moribus varius, & voluntate diversus, quantis cum difficultatibus eorum labores conjunctos esse credimus, quibus non modo pios in sacra fidei doctrina, & Christiano pietatis studio conservare propositum, sed & impios ab impietate retrahere, & ad meliorem vitæ rationem transferre.* *Majus miraculum est, inquit idem Gregorius Nazianzenus, prædicationis & orationis solatio peccatorem convertere, quam mortuum suscitare.* Non difficulter ex his intelligitur, quantum oneris, quantum difficultatis, quantum denique periculi in se recipiant fideles divinorum mysteriorum interpretes. Nihil de corrupta hominum natura communi originalis peccati labe depravata, nihil de cæcitate in intellectu, aut pronitate ad dubitationes de Deo rebusque divinis, nihil de voluntate alienata à Christo, nihil de appetitu ad carnalia desideria, & omne genus impietatis hominum animos inclinante dico. Quæ vero non impedimenta sanctissimis divinorum præconum laboribus objiciunt diversa vitæ tempora. Sicuti enim secundæ fortunæ aura non nunquam sic implet mortalium animos, ut mirum

rum in modum intumescentes, ad audienda divina legis præcepta penitus absurdescant, sic alii, qui variis affliguntur miseræ hujus vitæ calamitatibus, non facile admittunt, nisi quod adversitates quodam modo levare posse videatur. Idem enim his ut plurimum accidit, quod filiis Israel in Ægypto accidisse novimus; qui propter operum quibus premebantur gravitatem Domini verba ex ore Mosis audire recusabant. Didicit hoc experimento proprio D. Augustinus, & his verbis exposuit: *Ego cum amatores hujus seculi intueor, nescio quando possis esse ad eorum animos sanandos opportuna prædicatio: quando enim res hujus mundi prosperas habent, fastu suo respuunt salubres monitiones, & quasi annilem reputant cantilenam: quando autem adversis anguntur, magis conantur emergere, quam capere unde curentur.* Accedit plurimorum depravata consuetudo, lege quavis validior; *cujus teste Seneca, tanta vis est, ut ne universa quidem philosophia, etiamsi in hoc omnes vires suas advocet, duram jam & veterem ab animo extrahat pestem.* Plurima malorum hominum inter quos necessario vivendum est, exempla, injuriæ, contumeliæ, fraudes, inimicitia, invidia, lascivia, ebrietates, & quæ sunt præter hæc opera carnis omnium oculis nullo non tempore exposita, dum incautas mentes à divinæ legis norma abducunt animarum pastori non minora afferunt impedimenta. Quid de satana, antiquo serpente, quid de universo infernali dæmonum exercitu, quid de reliquo statuendum est hostium spiritualium agmine, quocum omni propemodum momento fidelis ministro decertandum? Quo vero major est sanctissimi hujus muneris præ cæteris omnibus tum dignitas tum gravitas tum difficultas, eo accuratiore præparatione opus est iis, qui ætatis suæ florem cum universo

Exod. V. 21.

Gal. V. 19.

Ap. XII. 9.

B

quod

quod restat vivendi tempore; qui omnes labores, omnesque vigiliis divino sacrarum literarum cultui consecrarunt. Plurima enim sunt, quibus instructum esse oportet, si quis non solum versari in domo Dei, quæ est ecclesia Dei viventis, sed & vigilantis animarum pastoris, & prudentis divinorum mysteriorum dispensatoris munere aliquando fungi cupit. Quisquis enim docere auditores consequendæ salutis viam, & meliores reddere satagit, hunc & divinarum rerum probitate conscientia præcellere, & singulari morum probitate conspicuum esse decet. Requirit in Ecclesiæ doctore
 1. Tim. III. 35. esse oportet, si quis non solum versari in domo Dei, quæ est ecclesia Dei viventis, sed & vigilantis animarum pastoris, & prudentis divinorum mysteriorum dispensatoris munere aliquando fungi cupit. Quisquis enim docere auditores consequendæ salutis viam, & meliores reddere satagit, hunc & divinarum rerum probitate conscientia præcellere, & singulari morum probitate conspicuum esse decet. Requirit in Ecclesiæ doctore
 Tit. I. 7. 1. Cor. IV. 1. docere auditores consequendæ salutis viam, & meliores reddere satagit, hunc & divinarum rerum probitate conscientia præcellere, & singulari morum probitate conspicuum esse decet. Requirit in Ecclesiæ doctore
 Tit. II. 9. 1. Tim. II. 35. Paulus, ut se ipsum præbeat exemplum bonorum operum, nec non, ut se sistat probatum Deo operarium, qui non erubescat, & alibi integros quasi catalogos recenset earum virtutum, quibus divinæ voluntatis interpretem præ ceteris omnibus maxime instructum esse oportet. Quamvis enim efficacia tam verbi quam sacramentorum ab interpretis, vel dispensatoris dignitate vel probitate neuriquam pendeat, & ferire quidem possit auditorum aures vox concionatoris, solus autem Deus secreto afflatu movere & transformare mentes: possunt tamen aliquando mali pastores perdere, & improbitatis exemplo occidere oviculas, quas servare & pascere conveniebat. *Quantum ad malos pastores, inquit Hipponensium Ancistes, attinet, occidunt. Quomodo, inquis, occidunt? male vivendo, malum exemplum præbendo.* Quemadmodum etiam ventus è loco vel pestilenti vel salubri spirans, loci illius naturam quodammodo refert, sic sermo è corde promanans affectum ejus refert, ut non alia sui parte sit homo homini vel utilior vel perniciosior. Nam sicuti oratione quæ à mente sana & pia proficiscitur, nihil est salubrius, sic è diverso nihil est perniciosius sermone quem exhalat cor pravis cupiditatibus, & mundi desideriiis
 reple-

repletum. Omnium quidem Christianorum hoc Rom. VIII.
commune est, ut Christi spiritum habeant cordis in- 7.
habitorem: attamen præcipue hoc pertinet ad eos, I. Cor. III.
qui in vinea Domini plantare & rigare tenentur, in- 7.
crementum à Christi spiritu piis precibus postulantes.
Spiritus enim Christi non habitat in corde impuro, &
peccatores Deus non audit. Hinc omnes in universum,
quotquot ad divina sacrarum literarum & cælestis
doctrinæ studia se conferunt in ipso statim sacrorum
studiorum vestibulo admonendi sunt, ne illotis, quod
dici solet manibus, mysteria contaminaturi, quasi semi-
pagani in Theologorum scholas irrumpant, sed men-
tem afferant, ab omni lascivia & omni pravorum affe-
ctuum cupiditate repurgatam, & Dei timore, atque
ardenti pietatis non tantum cognoscendæ sed multo
magis exercendæ desiderio flagrantem. Nam eru-
ditum esse in doctrina pietatis, & nulla pietatis officia
præstare, Christiano homine indignum est, in studi-
oso autem Theologiæ turpissimum. Præter incul-
patam vitæ rationem Apostolus in fidei sacrorum an-
tistite requirit, ut sit *διδάκμης*, aptus ad docendum, I. Tim. III.
Talem igitur esse oportet ecclesiæ doctorem, qui salu- 2.
tarem doctrinam primum distincte proponere, &
deinceps pro captu auditorum suorum perspicue ex-
planare queat. Idem Apostolus & hoc in prudente
sacrorum mysteriorum dispensatore requirit ut possit II. Tim. IV.
εὐδοκίμῳ, recte secare, sermonem veritatis. Sicuti 15.
enim in tanta rerum divinarum varietate, & non mi-
nore auditorum diversitate illud probe animadver-
tendum est, quod prima & præcipua cura versari de-
beat in feligenda materia auditoribus his & nunc pro-
ponenda: Sic altera in hoc adhibenda est, ne quæ con-
junguntur, in docendo distinguantur, nec quæ distin-
gui debebant conjungantur. *Omnis malorum ilias est*

Inevadita theologia, inquit Philippus Melanthon in doctissima oratione, quam de Philosophia Theologis necessaria conscripsit, *est enim confusanea doctrina, in qua magna res non explicantur diserte, miscentur ea, quæ oportebat se jungi, rursus illa quæ natura conjungi postulat, distrabuntur. Postremo tota doctrina monstrosa est.* Alterū doctoris munus in eo versatur, ut cœlestis fidei & morum doctrina è purissimis sacrarum literarum fontibus pro captu auditorum probetur ac confirmetur: quia nec Theologus dici meretur qui non probat scripturarum testimoniis quod asseruit, nec quisquam audientium temere admittit, quod nullo argumentorum robore firmatum. Hic vero idem illud animadvertendum quod de divinatorum mysteriorum explicatione dictum, videlicet, quod etiam in probando præcipua ratio habenda sit auditoris, ad quem, ceu præclare monet Philosophus, tanquam ad finem omnia sunt referenda. Si quis de eo dubitat, Paulum intueatur salutarem de Christo doctrinam apud Judæos doctrina Mosis & Prophetarum vaticiniis confirmantem, qui apud Athenienses & Lystrenses non Mosis aut Prophetarum lecti-
oni affuetos, sed philosophorum gentilium placitis imbutos, ab argumentis ex intima rerum natura ductis sermonem auspicabatur. Neque vero sufficit docere auditores, quæ sunt ad consequendam salutem factu necessaria, sed & hoc requirit gentium Apostolus, ut potens sit exhortari sana doctrina, & possit contradicentes convincere. Triplici hoc munere alio & perfectiori modo funguntur, qui futuros Ecclesiæ ministros ea & eruditione & morum pietate in scholis imbuerere satagunt, quæ ad alios aliquando cum fructu docendos sufficit: alio plane modo id faciunt, qui id muneris in se susceperunt, ut in concione populum doctrina ad salutem necessaria instruant & meliorem efficiant. Hic enim cœlestis

7
cœlestis doctrinæ capita ad fidem vel vitæ sancti-
moniam necessaria suo quælibet loco quantum ad
multitudinem è sacro ambone erudiendum sufficit,
proponit, explicat & singula eorum Scripturæ dictis,
nec non exemplis & aliis ad fidem faciendam
idoneis argumentis confirmat, nec quicquam
intermittit eorum, quibus vel intellectus ad assensum
præbendum inclinari, vel voluntas ad agendum flexi
possit; in hæresium confutatione non nisi earum rati-
onem sibi habendam arbitratur, à quibus suo gregi pe-
riculum imminere putat. Quisquis autem ad hoc
munus aliquando in Ecclesia obtinendum, & cum au-
dientium fructu obeundum, adspirat, eum sane oportet
mature animum expolire mediocri linguarum, ar-
tium ac disciplinarum cultu, ne illorum, & necessariis
subsidiis plane destitutus, absque fructu Theologorum
scholas ingrediatur. Postquam in Theologorum sub-
sellis locum occupavit, primum studium versari de-
bet in cognoscenda Theologiæ parte quæ positiva di-
ci solet. Intelligimus hoc nomine eam, quæ Christi-
anæ religionis capita ad fidem vel vitæ sanctimoniam
pertinentia certo ordine secundum locorum Theolo-
gicorum seriem distincte proponit, perspicue explicat,
scripturæ dictis, & argumentis ex hoc fonte profuen-
tibus ita confirmat, ut nihil eorum quæ sine dispendio
salutis ignorari nequeunt, desideretur. In hac cœlestis
doctrinæ parte non mediocriter versatos esse oportet,
quotquot de singulis doctrinæ Christianæ capitibus sa-
nam doctrinam absque errandi periculo in concione
fidelium disertâ oratione sunt proposituri. Quamvis
enim nullum nominari possit Christianæ religionis caput,
quod non in aliquo sacrarum literarum loco à viris
θεοπνεύτοις claris & perspicuis verbis proponatur, tamen
ea quæ in Prophetarum Apostolorumque scriniis spar-
sim

sim reperiuntur, non facile quisquam prudenter distinguet, nisi ad certa doctrinæ capita apte reducantur. Cæterum prolixius hæc explicare non licet; cum instituti ratio postulet, ut de iis pauca subjiciam, qui præfenti scriptioni occasionem suppeditarunt. Sunt illi juvenes novem sanctioris doctrinæ cupidissimi, ingenii, pietatis, industriæ & eruditionis laude præstantes. Postquam illi mentem necessario linguarum ac disciplinarum cultu expolitam ad cœlestis doctrinæ studia contulerunt, me quoque dogmata sacra publicis privatisque lectionibus explanantem sedulo audiverunt, & plerique quæ audiverant instituto examine repetiverunt. Hoc agentes tales se fecisse arbitrantur in disciplinarum sanctissima profectus, ut in lucem prodire, & Christianæ doctrinæ capita adversus eruditas commilitonum objectiones tueri non dubitent. Cum igitur ante paucissimos dies publicam Locorum Theologorum explicationem denuo absolvissim, modeste petiverunt, ut lectionibus publicis disputationes itidem publicas, quater in hebdomade ordinariis horis habendas, interponerem. Nomina eorum cum singularum disputationum argumentis hic subscripta leguntur. Initium fiet in publico Theologorum auditorio mensis hujus d. XXIX. hora post meridiem III. Ex hoc erudito eruditorum juvenum conflictu, qui sanctissima fidei dogmata uberius explicandi occasionem suppeditabit, fructus uberrimos, non solum ad eos qui in arenam permutatis respondentium & opponentium vicibus descendunt, sed ad universum audientium cœterum redundaturos sancte polliceor. Omnes igitur sacrarum literarum Cultores amicè invito, ut publicis his commilitonum suorum disputationibus frequentes adesse velint. P. P. in Academia Julia d. XIII. Nov ANN. MDCCLIII.

D
I.
II.
III.
IV.
V.
VI.
VII.
VIII.
IX.
X.
XI.
XII.
XIII.
XIV.
XV.
XVI.
XVII.



DISPUT.

ARGUMENTA.

RESPONDENTES.

- | | | |
|-------|---|--|
| I. | De natura Theologiæ. | JOACHIMUS HENRICUS
Eichholz Helmstad. |
| II. | De Religione naturali, Idololatrica, Judaica & Muhammedana. | AUGUSTUS CLEVE
Luccensis. |
| III. | De Religione Christiana. | JOHANNES GODOFREDUS PRÆTORIUS Aſcan. |
| IV. | De autoritate S. Scripturæ. | JOHANNES CHRISTIANUS TRAUTMANN
Northeimienſis |
| V. | De perfectione S. Scripturæ. | HENRICUS CHRISTOPH. MEYER Siecka Luneburg. |
| VI. | De perspicuitate S. Scripturæ. | JOHANNES HENRICUS MUNCHHOFF Blanco-burgensis. |
| VII. | De morte corporis | BERNHARDUS TRINIUS
Gerda-Hannoveranus. |
| VIII. | De statu animæ separatae. | FRANCISCUS GEORGIUS GEISLINGER Bückoburgensis. |
| IX. | De Resurrectione carnis. | GEORGIUS JUSTUS HARSTRICH Hildesienſis. |
| X. | De extremo judicio. | Joachim Henr. Eichholz. |
| XI. | De æterna beatitudine & damnatione. | Augustus Cleve. |
| XII. | De essentia & attributis Dei. | Joh. Godofred. Prætorius. |
| XIII. | De mysterio Trinitatis. | Joh. Christ. Trautmann. |
| XIV. | De creatione hujus universi. | Henr. Christoph. Meyer. |
| XV. | De Providentia divina. | Joh. Henr. Munchhoff. |
| XVI. | De Angelis in genere. | Bernh. Trinius. |
| XVII. | De Angelis bonis & malis | Franc. Georg. Geislinger. |

DISP.

DISPUT.	ARGUMENTA.	RESPONDENTES.
XVIII.	De pactis quæ Deus cum hominum genere iniit.	Georg. Justus Harstrich.
XIX.	De imagine Dei.	Joachim Henr. Eicholtz.
XX.	De peccato originis.	Augustus Cleve.
XXI.	De peccato actuali.	Joh. Godofr. Prætorius.
XXII.	De persona Christi.	Joh. Christoph. Trautmann.
XXIII.	De communicatione idiomatum.	Henric. Christoph. Meyer.
XXIV.	De officio Christi.	Joh. Henric. Munchhoff.
XXV.	De prædestinationis decreto.	Bernh. Trinius.
XXVI.	De viribus humanis post lapsum.	Franc. Georg. Geislinger.
XXVII.	De justificatione.	Georg. Justus Harstrich.
XXVIII.	De fide justificante.	Joachim Henr. Eicholtz.
XXIX.	De renovatione & bonis operibus.	August. Cleve.
XXX.	De pœnitentia.	Joh. Godofr. Prætorius.
XXXI.	De partibus pœnitentiæ.	Joh. Christ. Trautmann.
XXXII.	De confessione & absolutione.	Henric. Christoph. Meyer.
XXXIII.	De veris Ecclesiæ membris.	Joh. Henric. Munchhoff.
XXXIV.	De capite Ecclesiæ.	Bernh. Trinius.
XXXV.	De notis Ecclesiæ.	Franc. Georg. Geislinger.
XXXVI.	De ministerio verbi.	Georg. Justus Harstrich.
XXXVII.	De Sacramentis in genere.	Joach. Henric. Eicholtz.
XXXVIII.	De baptismo.	August. Cleve.
XXXIX.	De pædobaptismo.	Joh. Godofr. Prætorius.
XL.	De effectu baptismi.	Joh. Christ. Trautmann.
XLI.	De anabaptismo.	Henric. Christoph. Meyer.
XLII.	De orali manducatione corporis Christi.	Joh. Henr. Munchhoff.
XLIII.	De Transubstantiatione pontificia.	Bernh. Trinius.
XLIV.	De communione sub utraque.	Franc. Georg. Geislinger.
XLV.	De sacrificio missæ.	Georg. Just. Harstrich.

00 A 6466

ULB Halle 3
002 937 239




Sb.

VO 17

240 ✓

HL 74







PROGRAMMA ^{28 34}

DISPUTATIONIBUS
Ad singula doctrinae Christianae
capita
publice habendis
praemissum
à
**CHRISTOPHORO TOBIA
WIDEBURGIO,**
S. Theol. D. Ejusdemque Prof. Publ. Ordin.



HELMESTADII,
TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.
ANNO MDCCIII.